



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtvte
Et Statv Religionis**

Qvo Quid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari prouenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

XXVII. De potestate ad prædictam administrationem immobilium iuxta
posterius ius Canonicum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)

sub dicta regula, quæ a S. Benedicto, cap. 3. & ab alijs exprimitur. Quantum autem, & quale futurum esset illud consilium, non fuit fortasse eodem modo ab omnibus constitutum, sed vnaquæque religio suam consuetudinem, vel regulam seruabat. Nec etiam inuenio in antiquo iure canonico ante Leonem X. peculiarem modum, aut formam circa hoc præscriptam. In iure autem ciuili inueniuntur quedam leges Imperatorum prohibentes alienationes talium bonorum, vt patet in l. *inuenimus*. 2. C. de sacros. Eccles. cum sequentibus, & Authenticis, quæ ibi referuntur ex collatione 2. tit. de non alienan. & collat. 9. tit. de alienat. & emphyt. Sed illæ leges, cū essent ciuiles, non poterant directe ligare personas ecclesiasticas, nisi quatenus per Ecclesiæ Pontifices admittebantur, licet quoad forum externum & ciuile, & quoad personas laicas, vendentes, & ementes talia bona, possent habere aliquos effectus. Sed circa illas leges nunc immorari non oportet, quia in hoc standum est iuri Canonico, quod iam sequenti c. explicauimus.

prælati res immobiles vel pretiosas Ecclesiæ alienare, tamen omnia intelliguntur de alienatione contraria diuino cultui, vel vtilitati Ecclesiæ, & ideo semper intelliguntur excepti casus, in quibus vel pietas, vel necessitas, aut vtilitas, causa est talis alienationis, vt notant glossa & Doctores in c. nulli. de reb. Ecclesiæ non alienand. Tamen pro illis casibus, in quibus talis alienatio licet, verum est in Authenticis citatis inueniri specialem formam seruadamin alienatione rerum Ecclesiasticarum, quam multi Doctores censent semper fuisse seruandam, quia erat canonizata, 10. q. 2. c. 2. At verò licet Gratianus ibi eam inseruerit, non sequitur esse canonizata, vt constat ex materia de legibus; & ideo plures Canonistæ censent neque esse, nec fuisse semper necessariam formam illius authenticæ seruare: de qua re videri potest glossa in cap. 1. de reb. Ecclesiæ non alienand. in 6. Glossa, Pan. & alij in c. nulli, extra eodem titulo. & Rebuffus in tractat. de alienatione rerum Ecclesiasticarum. n. 2.

Omissis ergo similibus legibus, per iura canonica specialis solennitas postulat, sine qua Prælati Religionis nequit bona immobilia aut mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, &c. cum illa alienare potest, nulla habita ratione aliarum conditionum, etiam si per ius ciuile requiratur, vt tradit prædicti Doctores, & Innoc. in c. 1. de reb. Ecclesiæ non alienandis in 6. Panor. in cap. in present. de probat. num. 28. Et ratio facta conuincit, quia hæc materia Ecclesiastica est, non ciuilis. Primo autem fundatur necessitas huius formæ seu solennitatis in c. sine exceptione 12. q. 2. quod à Gratiano tribuitur Leoni Papæ in epist. ad Episcopos Sicilia, non citat autem numerum epistolæ inter epistolas autem Leonis primi, solum quarta est ad Episcopos Sicilia, in qua hoc caput non habetur. Neque in tomis Conciliorum inter opera eius refertur. Vnde non mihi constat an fuerit Leonis I. vel alterius, quia neque à Gratiano notatur. Neque inter decreta vel gesta alicuius Pontificis Leonis vocari illud inuenio. Vt autem in Gregoriano Decreto aduertitur, alij referunt illud caput ex Leone in Concilio apud Valentias, vel ex Concilio Carthagin. IV. sed in nullo Concilio ex Valentinis, quæ habemus, illud c. habetur; in Concilio autem Carthagin. IV. can. 30. ita legitur. *Ut Episcopus rebus Ecclesiæ tanquam commendatum, non tanquam propriis utatur.* Et c. 32. subiungitur, *I rita erit donat. o Episcoporum, vel venditio, vel commutatio rei Ecclesiæ, sine consensu, & subscriptione clericorum.* Quæ verba habentur in vltima parte illius capituli, sine exceptione, & in cap. 1. de his quæ fiunt à Prælati, &c. vbi tribuuntur Conc. Valent. Cuiuscunque igitur authoris fuerit illud decretum, certum est esse authenticum, & formam in eo præscriptam, esse necessariam, ex vi iuris communis, prout nunc loquimur.

Plura autem sunt quæ in illo capite requiruntur. III. Primum est, causa, quæ explicatur his verbis, *nisi forte aliquid horum facias, vt meliora prospicias.* & infra, *dicto vt sub quod non sit dubium prefuturum Ecclesiæ.* Sub quibus verbis comprehenduntur quatuor cause, quæ ab authoribus numerantur, vt videre licet in Panormitano, & Rebuffo supra ex Glossa in Summ. 12. q. 2. Prima est necessitas, quæ à fortiori comprehenditur sub vtilitate. Secunda est vtilitas, quæ solet etiam appellari necessitas, vt Philosophi dicunt, ad melius esse, & ita existimo quoad hæc duo capita iura indifferenter loqui, vt patet ex dicto c. sine c. si. tit. c. non habenti. 12. q. 2. & cap. vi. super. de rebus Ecclesiæ non alien. & in Authen. Hoc ius. Cod. de Sacros. Ecclesiæ. 10. q. 2. Tertia causa dicitur esse quando res est incommoda Ecclesiæ, c. terrulas. 12. q. 2. & cap. fugitiui. de rebus Ecclesiæ non alien. Sed hæc quid est nisi quædam vtilitas? Si enim rem vtilem pro vtiliori comutare magna

II. Solennitas Religionis nequit bona immobilia aut mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, &c. cum illa alienare potest, nulla habita ratione aliarum conditionum, etiam si per ius ciuile requiratur, vt tradit prædicti Doctores.

III. Prima cautela necessitas. Secunda vtilitas.

Tertia causa ad speciem.

C A P V T XXVII.

De potestate predictæ administrationis immobilium, iuxta posterius ius Canonicum.

I. Diximus præcedenti capite de hac potestate iuxta antiquum ius commune; nunc iuxta posterius agendum. Dico ergo: Potestas administrandi bona Religionis, nunc etiam, stando in iure communi, eadem est in prælato regulari, excepta solum restrictione quæ iure Canonico adiecta est, quoad alienationem aliquorum bonorum. Probatur prima pars, quia ab antiquo iure non recedimus, nisi quatenus per posterius immutatum est, sed nullum inuenitur nouum ius commune seu Pontificiū quod potestatem hæcenus explicatam amplius restringat, ergo. Minor quoad negationem quā includit, probatur, quoniam neque in corpore iuris Canonici, neque extra illud extat lex in vniuersum aliquid circa hoc statuens, vel generaliter de Ecclesiasticis bonis, vel specialiter de regularibus, præterquam circa alienationes rerum immobilium aut pretiosarum, de quibus vt ad posteriorem partem assertionis veniamus, multa sunt antiqua decreta, quæ prohibent Franc. Suar. de statu relig. Tom. IV.

magna utilitas est, dict. c. super. §. i. etiam rem inutilē in vtilem convertere, vel damnosam diuendere, vtile est: nam hoc ipsum, scilicet vitare damnum, est quædam utilitas. Non enim existimo, rem immobilē, quantumvis inutilis, vel damnosa videatur, ita licere diuendere, quin, si commodē fieri possit, alia illius loco substituitur, quæ nonnullam utilitatem afferat: quia, ut dicitur dict. c. sine exceptione, illud semper eligendum est, quod sit profuturum Ecclesiæ, semper autem talis commutatio est profutura, si fieri potest.

IV.
Instantia
occurritur.

Dices. Interdum potest res ita esse inutilis, ut nec vendi possit, nec commutari pro alia vtili: tunc ergo licet talem rem donare absque alia utilitate. Respondetur, primum si habere talem rem esset onerosum religioni, quia nimirum in conferuanda illa aliquid expendit, tunc iam esset utilitas in ea donanda, quia vitare expensas infructuosas vtile est: sed hoc vix accidere potest in rebus immobilibus, sed solum in se mouentibus, quæ quando huiusmodi sunt, tam parua æstimationis sunt, ut non pertineant ad bona de quibus agimus. Si autem res immobilis sine vilo damno, vel incommodo monasterio sub eius dominio conferuari possit, quantumvis inutilis videatur, non potest, ut opinor, liberaliter donari sine aliqua commoditate, vel morali utilitate monasterij, cum quia habere illud non nocet, & quod nunc videtur inutile, in aliqua occasione poterit esse vtile: tum etiam, quia ut causa sit legitima, non satis est quod alienatio non sit inutilis, sed oportet ut sit vtilis, ut iura citata docent, & ideo inter res viles non licet commutare æqualem pro æquali, licet aliquid commodi inde monasterio accrescat: omnes ergo hæc causæ sub vna utilitate continentur.

V.
Prima causa
supplicat.

Addunt verò auctores citati aliam causam, scilicet pietatem, qualis est, v. g. redemptio captiuorum, nam pro illa dicunt posse bona Ecclesiæ alienari, quod probant ex l. Sancimus. C. de sacros. Eccles. ibi. Excepta v. delictis causa captiuorum, & famu: nam si necessitas fuerit (inquit) in redemptione captiuorum, tunc venditionem præfatarum rerum diuinarum, & hypo. hec am, & pignorationes fieri conuēdimus, quoniam non absurdum est animas hominum quibuscunque vasis, vel vestimentis præferre. In qua lege solum est sermo de rebus mobilibus: expendi autem possunt illa verba, quibus anque vasis, & vestimenta, nam planè extenduntur ad res pretiosas, quæ æquiparantur immobilibus, expressè vero in Authent. de alienat. & emphyt. tit. 3. de alienatione, & emphyteusi, c. 9. Sancti spiritus, dicitur, Ecclesias, seu æconomos civitatum præcipimus alienare res immobiles pro captiuorum redemptione, nisi sub hac conditione præstiterint aliqui de iuribus, ut nullo modo has aliene. t. Sed hæc leges cum Ecclesiasticæ non sint, non possunt de rebus Ecclesiarum disponere, & ita non videtur illis standum nisi vel quatenus ipsum ius naturale, & diuinum explicant, vel canonibus consentaneæ sint. Inuenimus autem illas leges canonizatas per iura canonica, c. sacrorum. 12. q. 2. vbi Gregorius ait, Et sacrorum canonum statuta, & legalis auctoritas permittit, licet res Ecclesiasticas in redemptionem captiuorum impendi. Similia verba habet lib. 6. epist. 35. cap. 199. & apud Gratianum supra c. & sacrorum.

VI.
Ministeria
Ecclesiæ
sacra vo
cantur.

Sed oportet causæ exponere verbum illud, Ministeria Ecclesiæ, non enim est sensus, Ecclesiastica munera, aut actiones vendi posse propter opera misericordie, constat enim illud non licere; sed vasa sacra, quia ad diuina ministeria deputata sunt, ministeria nuncupavit, ut patet ex verbis infra subiunctis, Si de prædicta Ecclesia visuale argentum est, supra scripta quantitatem accipiet, alioquin de sacra vasis vos hac in rem, quam prædictimus, qualitatem præbere nec sse est: nam sicut omnino graue est frustra Ecclesiasticæ ministeria vende-

re, sic iterum culpa est imminente huiusmodi necessitate res desolata Ecclesiæ capitulum suum præparare, & in eorum redemptionem cedere. Quod etiam eleganter profecquitur Ambrosius lib. 2. de Offic. c. 28. Et habetur apud Gratianum cap. sicut. cap. autum. 12. q. 2. Ex prædictis autem verbis constat, hunc casum comprehendere sub Ecclesiæ utilitate, imò etiam necessitate, ut Gregorius in citatis verbis satis declarauit, recteque comprehenditur hæc causa in dicto c. sine exceptione, in verbis illis, & meliora prospiciat. Addit quintam causam Hostien. in Summa, tit. de rebus Ecclesiæ non alien. scilicet, æquitatem, ex cap. ad aures. eod. tit. Verum tamen in illo etiam textu maior Ecclesiæ utilitas considerata est, ut patet ex illis verbis, Nisi forte tunc alio possint ad maiorem Ecclesiæ utilitatem cum eadem labore, & onere conferre. Solum ergo potest ratio æquitatis facere, ut cum æquali Ecclesiæ utilitate is præferatur, cui alia ratio æquitatis fauet.

Atque hæc conditio ita explicata per hæc omnia membra non tam est positum iuris, quam diuini, & naturalis, quod quidem verum est de quocunque prælato Ecclesiastico, quantum ad bona ipsius Ecclesiæ, quorum ipse non est dominus, sed dispensator: multo verò magis in prælato regulari propter pauperitatem, quæ proficetur. Additur verò expositio iure necessarium esse ut de hac causa cõstet per publicum instrumentum ad hoc specialiter factum, ita ut non sufficiat hoc inferi in instrumento alienationis. Ita docet Dominicus, Philippus, Socinus, & Guido, quos refert, & sequitur Rebuffus supra, num. 10. Hanc verò solennitatem non inuenio expressam in dict. cap. sine exceptione. ipsi verò allegant cap. 1. de rebus Ecclesiæ non alien. in 6. cuius verba sunt, Præsertim cum evidens necessitas quæri furi debet, vel utilitas non subesse. Ex quibus non video quomodo illa peculiaris conditio & solennitas colligatur, nam ibi solum requiritur ut verè subit evidens necessitas, & utilitas: quod autem hoc constare debeat per speciale instrumentum, ibi non dicitur, neque ego inuenio aliud in iure expressum durum autem est admittere conditionem ut necessarium ad contractus valorem, vel honestatem, quam iura non expriment. Præsertim, quia in cap. 2. de rebus Ecclesiæ non alien. in 6. solum postulat ut alienatio fieret in forma, & casibus à iure permixti, casus autem sunt supra numerati, circa quos, ut de illis cõstet, nulla forma ponitur in iure, sed circa alia, quæ statim dicemus. Quocirca nisi cõsuetudo fortasse obsteret, videtur probabile ex parte causæ sufficere quod in re subit, & sufficienter possit de illa iudicio constare siue per speciale instrumentum, siue aliis modis. Ad quem autem pertineat probare huiusmodi utilitatem Ecclesiæ, si fortè post alienationem lis exorta sit, videri potest in citatis auctoribus, & præsertim in Couarruuiæ lib. 2. Variarum cap. 17. ad nos enim non spectat.

Secundo ut rectè fiat alienatio, necessarium est ut ante illam præcedat tractatus, dict. c. sine exceptione. ibi, Et cum totius cleri tractatu, & consensu, & in cap. 1. de rebus Ecclesiæ non alien. in 6. quædam concessio reprobatur. Quia tractatus solennis, & diligens, qui in libris concessionibus perpetuum, & alienationibus rerum Ecclesiasticarum exigitur, non fuit habitus in eadem. Est autem tractatus mutua collatio conuentus seu Capituli de necessitate, vel utilitate alienationis, unde ad illum conuenire debent omnes, qui circa talem alienationem suffragium habent, nam eorumdem petitur tractatus, quorum cõsentus postulat. Oportet etiam (iuxta communem interpretationem) ut tractatus fiat inter religiosos, vel clericos capitulariter congregatos, ita ut non sit satis separatim cum singulis rem tractare, aut per literas cum eis cõferre, nisi in

vnum conueniant, & inter se conferant, nam & verba iurum hoc indicant, & iuvat cap. *tertio loco*. de probationibus & res ipsa ita postulat vt conuenienter agi possit, & Doctores consentiunt, vt patet ex superius citatis. Addit Rebus. supra numero suo 12. debere fieri speciale instrumentum de hoc tractatu, quod in iure non inuenio expressum, & ideo non iudico esse necessarium in foro conscientia; tamen in exteriori praxi sequendus in foro conscientia; existimo tamē sufficere quod in eodem instrumento alienationis narretur tractatus praecedens, non tantum praesupponendo, sic enim oportebit vt alia via de suppositione constaret; sed narrando illum, & dando fidem illius, ex sententia Capituli, quae ex illo resularet circa utilitatem alienationis, & fortasse iuriste nihil aliud intelligunt.

noribus Ecclesiis c. *si qua*. & c. *precaria*. 12. q. 2. Huius autem ratio inter alias est, quia auctoritas praelati est maximē necessaria ad huiusmodi actum; ergo quando Ecclesia non vacat, fieri non potest sine consensu eius.

Solum quæri potest, si contingat in Capitulo paria esse suffragia praeter praelatum, & inter se aequaliter diuidi, an id sufficiat, vt accedente consensu praelati, fieri possit alienatio: videtur enim non satis esse, quia Capitulum in hoc negotio debet considerari vt conditinctum à praelato, nam iura dicunt, praelatum non posse hoc facere sine consensu Capituli; & è conuerso dicimus consensum totius Capituli sine Episcopo non sufficere: considerantur ergo Capitulum, & praelatus tanquam duae personae conditinctae, quarum consensus simul necessarius sunt; sic autem considerando Capitulum non potest dici in eo casu consentire, quia maior eius pars non consensit. Nihilominus probabilius videtur saltem in religionibus, vbi Capitulum non ita conditinctum à praelato, sicut in cathedralibus Ecclesiis, illud consensus Capituli sufficere, quia praelatus est pars Capituli, & ideo absolute verum est tunc maiorem partem Capituli, & Consequenter Capitulum ipsum consentire. Neque est inconueniens quod praelatus suo consensu operetur, & vt pars habens suffragium in Capitulo, & vt caput, & superior sua fungens potestate: atque idem censeo de quocunque Capitulo, in quo praelatus eodem modo praesideret. Alia multa possent de his conditionibus tractari, quae omitto, quia pertinent ad vniuersaliorem materiam de bonis Ecclesiasticis, & quia vnaquaeque religio haec obseruat, vt statim dicam, iuxta priuilegia sibi concessa: videri ergo possunt in citatis auctoribus, praesertim in Panormitano in c. 1. & c. *116*. de his quae sunt à praelatis, & c. Geminiano, & aliis in c. 1. de rebus Eccles. non alien. in 6.

XI.
Quaestio
culas iur.
gen. s

Autoris
probabilis
resolutio.

IX. Tertia conditio est consensus Capituli in talem alienationem. Patet ex citatis verbis c. *sine exceptione*. & ex aliis statim citandis: vnde quoad hanc partem multum diminuta est potestas praelati, quia non est monarchica, sed cōiuncta cum aristocratia. Ratio autem seu congruentia huius iuris fuisse videtur, vt difficilior fieret haec alienatio, & quia fortasse praelati abutebantur potestate, quam antea in solidum habere solebant, & si petebatur consilium seniorum, vel Capituli, non erat decisiuum, sed cōsultiuum, iuxta hanc verò formam omnes de conuentu habens suffragium decisiuum. Vnde duo actus hic distinguendi sunt, vnus pertinet ad tractatum, alius pertinet ad ipsum contractum alienationis. Prior pertinet ad intellectum, seu iudiciū, per illum enim quasi fertur sententia quod talis alienatio expediat, vel necessaria sit monasterio, ad hanc enim ordinatur tractatus, & si in ea Praelatus non confirmaretur Capitulo saltem pro maiori parte, non esset vltra progrediendum, quia iam decesserit iuste alienationis fundamentum, nec posset rationabiliter postulari consensus in alienatione ab his, quae eam conuenientem non esse iudicassent. Alius actus est voluntatis, quia propriè nomine consensus significatur, & est voluntas quod talis alienatio fiat: potest enim aliquis indicare vtile esse monasterio vt fiat alienatio, & nihilominus nolle vti hic & nunc, vel cum tali persona fiat, propter extrinsecos respectus, vel rationes: propterea ergo requiritur consensus in ipsa alienatione. De quo consensu, quomodo debeat exprimi in instrumento per propria nomina, & subscriptiones singulorum, & de aliis circumstantiis eius, videri possunt auctores citati.

Prior autem
pertinet ad
intellectum
alium autem

alium autem

X.
Capitulum
consentire
dicunt

Quod ad nos spectat, solum est aduertendum requiri simul consensum praelati, & Capituli. Vt autē Capitulum consentire dicatur, non est necesse vt omnes de Capitulo consentiant, sed sufficit maior pars, vt ibi glossa aduertit, nam quod à maiori parte fit, censetur à toto fieri, vt supra c. 5. tractando de electionibus diximus: si autem saltem magna pars non consentiat, etiam si plures cum praelato velint, nihil fieri poterit, quia tunc verum non est, Capitulum consensisse: è contrario verò quamuis totum Capitulum, excepto praelato, consentiret, non posset alienatio fieri, vt est communis sententia Doctorum, quos retuli, quia vtriusque simul, praelati scilicet, & Capituli consensus necessarius est. Item, quia per hanc formam non priuatur praelatus sua potestate, sed solum limitatur ne possit illa vt sine consensu Capituli, vt aperte colligitur ex iuribus citatis: ergo semper necessarium est vt interueniat auctoritas, & potestas praelati, quod esse non potest sine consensu eius. Tandem ob hanc causam sede vacante non potest Capitulum cathedralis Ecclesiae bona eius alienare, vt constat ex c. 1. de rebus Eccles. non alien. in 6. vbi glossa aduertit idem esse in maiori Franc. Suar. de statu relig. Tom. IV.

Solum ergo addendum est, pro regularibus praelatis iure nouo confirmato, & declarato esse illud antiquum ius in Clem. vnic. de rebus Ecclesiae non alienandis, vbi omnibus religiosis monasteriis. Prioratus Ecclesiae, seu administrationi cuius praesidentibus prohibetur haec alienatio, nisi necessi aut vtilitas monasterii, Prioratus, Ecclesiae, aut administrationis huiusmodi hoc expellant, conuentus sui aut si consensum non habeant, praelati proprii assensu ad hoc nihilominus accedente. In quo iure solum superest explicanda illa vltima conditio, quae additur quando deest conuentus: tunc enim solius praelati consensus postulatur. Ex quo in primis videtur à contrario sensu colligi, quando praelatus, aut prior habet conuentum, tunc, si uterque consentiat, non esse necessarium consensum superioris praelati. Probatur, quia hic specialiter postulatur quando deest conuentus: ergo, quando non deest, sufficit consensus eius sine consensu superioris praelati.

XII.

Sed contra hoc obici potest, quia praelatus non exemptus non potest aliquid alienare sine consensu Episcopi, etiam si conuentus consentiat, vt colligitur ex cap. *Abbatibus*. 12. q. 2. & cap. *in venditionibus*. 17. q. 4. & tradit glossa recepta in Summa, 12. q. 2. praelatus autē conuentualis exemptus indiget consensu sui Prouincialis, quem habet loco Episcopi, nam, cum sit exemptus, in illo consensus Episcopi necessarius non est, vt notauit Turrecr. in dicta Summa, in princ. 12. quaest. 2. tamen loco illius est necessarius consensus sui praelati. Respondetur ad priorem partem, in dicta Clementina non requiri in eo casu consensum superioris praelati, & ita ex vi illius non esse necessarium consensum Episcopi; tamen quia illa non reuocat antiquum ius, nec de hoc aliquid positiuè disponit, ideo, ea non obstante, veram esse communem sententiam. Nam argumentum in contrarium licet sit efficax ad probandum,

XIII.
Obiectio.

ex vi illius iuris non postulari talem consensum, non tamen est efficax ad probandum non requiri ex vi aliorum iurium. Atque idem dicendum est ad posteriorem partem, quæ per se est consentanea iuri communi, quatenus Prouincialis, vel Generalis vicem Episcopi tenet respectu monasterij exempti; nihilominus tamen illud pendet ex proprio iure vniuersitatisque religionis. Vbi autem nihil in contrarium statutum fuerit, prædictum ius commune seruandum est, adeo, ut Archidiaconi Hostien. & alij, quos refert & sequitur Rebuff. supra n. 87. non valere consuetudinem in contrarium dixerint.

XIV.

Circa postulandum consensum praelati superioris, dubium vnum.

Circa eandem verò partem, quatenus postulat consensum Superioris, quando Prior, vel administrator non habet conuentum, interrogari potest primo, an praelatus superior, vel Episcopus possit solus consensum præstare, vel simul debeat concurrere Capitulum Ecclesiæ, vel monasterij, cui talis praelatus præest. Et ratio dubij esse potest, quia iuxta formam c. sine exceptione. Episcopus non potest alienare bona Ecclesiæ sine consensu Capituli, quæ forma non est reuocata per dictam Clementinam. Respondetur nihilominus, ex vi illius textus non requiri consensum nisi solius Episcopi, v. g. Quam sententiam significant Geminianus, Perusius, Speculator, quos refert, & sequitur Rebuffus supra n. 88. ubi allegat etiam alia iura. Sufficiunt tamen verba eiusdem Clementinæ, quæ solum requirit consensum praelati proprii; nec oportet addere onus, quod lex non addit. Nec ex vi antiqui iuris id erat necessarium, nam in dicto c. sine exceptione, expressè dicitur, *ne quis Episcopus de rebus Ecclesiæ suæ, vnde omnes colligunt, ad alienanda bona inferiorum Ecclesiarum non requiri consensum Capituli Ecclesiæ cathedralis, sed Episcopi, & eorum, ad quos pertinet proxima cura talium Ecclesiarum.* De quo possunt optimè intelligi vltima verba eiusdem textus, quæ generalius loquuntur de alienatione rei Ecclesiasticæ, & prohibetur fieri ab Episcopo *absque conuentu, & subscriptione clericorum.* Quæ intelligenda sunt respectiue, id est, clericorum vniuersi, quæ Ecclesiæ, vel vnius tantum, si plures non habuerit. Ergo, si Ecclesia fuerit regularis, & si conuentum non habuerit, etiam ex vi illius textus sufficit consensus Episcopi, & Prioris.

XV.

Dubium alterum per distinctionem duplicem eius res soluitur. Quid in prioris.

Sed quid si talis Prior fuerit exemptus? Respondetur, adeo, aut est immediatus Papa, aut habet prælaturam superiorem intra eandem religionem: in hoc posteriori casu proprii praelati regularis consensus necessarius est, & sufficit. Solum tenebitur ipse praelatus superior ad præbendum suum assensum, vti consilio sibi, iuxta suam regulam præscripto ad similes res graues definiendas, siue illud consilium sit, siue definitiuum: quoad hoc enim verum est, dictam Clementinam licet in eo casu non requirat consensum alicuius Capituli, vel consilij, non tamè excludere alia iura specialia, quæ illud possunt requirere. Quocirca, si bona illius Ecclesiæ, quæ per huiusmodi Priorem sine proprio conuentu administrantur, sunt ita annexa alteri monasterio, ut censeantur etiam bona illius, ideoque talis Prior sit subiectus praelato illius monasterij, tunc sine dubio erit necessarius consensus non tantum praelati, sed etiam Capituli monasterij: quia ipsemet praelatus non potest dare suum consensum ad alienanda bona monasterij sine consensu Capituli, illa autem bona etiam sunt talis monasterij. At verò in priori casu necessarius erit consensus Pontificis, nam ille est proprius praelatus talis Abbatis, seu religiosi exempti: quod notat glossa in dicta Clementina, verbo *Proprij.* & Rebuffus supra, numer. 86. Qui omnes addunt, si talis Abbas Ecclesiam habeat pleno iure sibi subiectam, id est, cum Episcopali iurisdictione, tunc non indigere consensu Pontificis,

nam potius ipse potest præbere auctoritatem alienationibus bonorum cuiusvis Ecclesiæ sibi subiectæ, consentiente illius Rectore. Aduerto tamen non solum in regularibus, sed etiam in secularibus praelatis inueniri minime posse aliquem habentem iurisdictionem Episcopalem, & Pontifici immediate subiectum, qui tamen conuentum non habeat, seu Capitulum, vel saltem clericum: quapropter nullum existimo esse talem Abbatem, qui solo arbitrio suo sine consensu alicuius praelati sibi superioris, saltem Papæ, & sine consensu alicuius Capituli, vel cleri, vel saltem proximi rectoris Ecclesiæ possit bona Ecclesiæ alienare. Nam in dicto cap. *sine exceptione*, generalis regula ponitur, Episcopum non posse alienare bona Ecclesiæ sine consensu cleri: ergo multò minùs poterit inferior praelatus habens iurisdictionem Episcopalem: ergo è contrario quatienscunque locum habet casus dictæ Clementinæ, in quo religiosus praelatus non indiget consensu alicuius conuentus, vel cleri, quia illum non habet, necessarius illi est consensus alicuius praelati superioris, saltem Papæ, quantumcumque ipse exemptus sit: nec in hoc existimo posse habere locum limitationem, vel exceptionem, sed solum in illis praelatis, qui cum habeant conuentus, in eis habent Episcopalem iurisdictionem solum Pontifici Summo subordinatam.

De quibus rebus alienandis intelligatur prædicta solennitas.

Additur verò in dicta Clementina limitatio huius formæ, seu prohibitionis his verbis, *Pe impemissa ad locationem, vel etiam reddituum, aut fructuum reddituum: ad tempus modicum facienda, declarata, & ratum non extendi.* Circa quæ verba duo in hoc puncto declaranda supersunt. Primum, in quibus bonis alienandis requirantur prædictæ conditiones: secundum, in qua eorum alienatione necessaria sit virtusque autem horum factis distinctè explicatur in Extrauag. *Ambrosio*, de rebus Ecclesiæ non alien. nam generalis regula ibi statuta de Ecclesiasticis bonis, ad regularia etiam applicanda est. Quoad priorem ergo partem, declaratur ibi, bona, circa quæ prædicta omnia seruanda sunt, esse omnia immobilia, & præterea mobilia: vnde fit, circa alia omnia, quæ humiliora non fuerint, conditiones illas non esse necessarias, ac proinde circa alienationem illorum integrum manere ius antiquum, & potestatem, quam iuxta illud habent regulares praelati. Quid autem per mobilia bona intelligatur, res nota est, & videri potest Panormitanus cap. *Nulli*, de rebus Ecclesiæ non alienandis, numer. 9. & 10. & tomo præced. Illud attingimus, tractando de materia paupertatis. In præfenti ergo sub immobilibus bonis comprehenduntur tam res corporeæ, fixæ, & immobiles, quam actiones, & iura, vel redditus longi temporis, seu ius diuturnum ad illos, censetur autem diuturnum, si sit saltem decem annorum. Item etiam iura, seu debita rerum immobilium, quæ naturam eorum participant.

Circa hæc autem debita oportet aduerte, necessarium esse, ut iam sit monasterio ius acquisitum, quod ante non sunt bona monasterij, nec Ecclesiæ: si autem ista, & ideo nondum comprehenduntur sub prædictis legibus, ideoque si quis modus alienationis in eis esse potest, manet sub ordinaria potestate administratiua praelati. Exemplum est, si donatio offeratur monasterio sub his, vel illis conditionibus, vel legatum relinquatur, ante acceptationem non habet monasterium ius acquisitum, & ideo ad non acceptandum manet potestas apud prælatos, possuntque alienare, vel commutare bona ibi relicta modo supra dicto, tractando de paupertate in materia

utilitatem, vel commoditatem monasterij. Quam sententiam tenuit Feder. de Senis consil. 9. quem refert, & sequitur Panormitan. in cap. 1. de in integrum restit. n. 9. & cap. 114. de his, quæ sunt à Prælati, num. 9. ubi additio refert Romanum, Ancharanum, & Lapium, & alios refert Rebuffus supra, num. 30. ubi tamen refert etiam Ancharanum & alios in contrarium, & ipse, licet distinctione utatur, in eam sententiam magis inclinat, & eam sequitur noster Molina disput. 468. de iustitia. Sed mihi in rigore prior opinio vera videtur, nam ante acceptationem non est proprium ius acquisitum, quod inter bona immobilia computari debet. Facit ad hoc confirmandum dictum Pauli de Castro consil. 11. & Felin. cap. cognoscens. de Constit. num. 7. limit. 3. mulierem posse repudiare donationem sibi factam nondum acceptatam omnia solennitate statuti loquentis de alienationibus mulierum, quia loquitur ubi ius est acquisitum in re. Quod etiam sentit Sanch. lib. 6. de Matr. d. 4. à num. 11. Verum est debere Prælatos in hoc servare modum sua regula præscriptum, vel si in hoc nihil esset speciale definitum, servare debet generalem regulam, ut in rebus arduis nihil agat sine consensu conventus: de qua videri potest Felinus in cap. doceri, de rescriptis, num. 3.

aut vendi sine predicta solennitate, quia in eis integram retinet administrandi potestatem, nam, ut supra dicebamus, ius antiquum integrum manet, ubi per novum non est immutatum; circa hæc autem bona nihil innouatum est in predictis iuribus. Solum excipitur in dicto c. nulli, rusticum mancipium, iuxta Authenticum de non alienandis, §. nos consuetudo. igitur, nam iuxta ius antiquum computabatur huiusmodi mancipium quasi accessorium, vel quasi pars ipsius prædij, & ideo inter immobilia computabatur. Et ideo fortasse idem nunc censendum erit de iugis bouum, aut aliorum iumentorum cum alijs rebus deputatis ad cultum prædij: nam licet singula ex his non sint mobilia pretiosa, tamen peculium illud rusticorum (ut sic dicam) quid pretiosum dici potest, & coniunctum prædij est, veluti quid immobile: in eo ergo etiam videtur servanda forma iuris. In ceteris autem mobilibus, ut dixi, Prælati habet suam integram potestatem, ut plane colligitur ex dicta Extravag. per argumentum ab speciali, & ex dicta Clemen. in fine, per argumentum à fortiori, & est communis sententia his locis, & 12. quæst. 2. in princ. cum glossa ibi, & in cap. 114. ubi etiam Panormitan. de his, quæ sunt à Prælat. &c. Additur verò in dicta Extravagante verbum notandum, *Ac de fructibus, & bonis, quæ servando servari non possunt pro instantis tem. oris exigentia.* Quo significatur, etiam hæc bona non esse alienanda nisi quando opportunitas, vel occasio id exigat, respiciendo semper ad necessitatem, vel commoditatem monasterij, vel ad debitam pietatem.

Notandum.

De qua alienatione intelligatur eadem solennitas.

Quoad alteram verò partem num. 16. propositam, in qua scilicet alienatione requiratur predicta solennitas, dicitur in predicta Extravagante, *Omnia rerum, & bonorum Ecclesiasticorum alienatio, omneque pactum, per quod eorum dominium transgrediamur, concessione, hypothecam, locationem, & conductum ultra triennium, nec non inscudationem, vel contra dictum emphyteuticum, præterquam in casibus à iure permis. & de rebus, & bonis in emphyteusim ab antiquo concessis, & cum Ecclesiis existerent utilitate.* Per quæ verba in primis sublata est ambiguitas, quæ in dicta Clementina relinquebatur, quod censetur modicum tempus: quam ibi tractat glossa, & refert varias opinionones, & Panormitanus ibi videtur approbare illam, quæ tempus infra decennium censet esse modicum: tamen dicta Extravagans limitavit tempus trium annorum, & ita de facto servatur, & servandum est. Deinde possent hic quæstiones institui de singulis contractibus istorum quomodo Prælati prohiberi sint, & an sine omnino invalidi sine debita solennitate facti, & an saltem valeant pro tempore permisso, quando pro maiori indebiti facti sunt. Sed ab his, & similibus quæstionibus nunc abstinere, quia generales sunt de omnibus Ecclesiasticis bonis, & latè tractantur à citatis auctoribus, & videri potest Molina tom. 2. de iustit. disp. 466. & tribus sequentibus. Nunc solum suppono ex dictis iuribus manifestum esse, huiusmodi contractus esse irritos ex vi prædictarum legum absque alia sententia, vel declaratione, quia in ipsa lege satis explicatur, neque talis irritatio est poena, ut sit necessaria sententia. Nec mihi placet sententia eorum, qui dicunt, si non cesset iusta causa, & utilitas Ecclesiæ propter solum defectum solennitatis non teneri quempiam in conscientia recedere à contractu, quod sentit Nauarrus Commentariis de Alienatione rerum Eccles. num. 15. & sequentibus, & in Comment. de spolijs clericorum, §. 2. num. 6. quia solennitas (inquit) inducta est ad

XX.

Disput. il-
lum solenni-
tatem irritat
alienationem.

præ-

XVIII. Quæ res censentur mobilia pretiosa, non inuenio in iure declaratum, neque ab auctoribus de illa certa regula assignatur præter quædam exempla sumpta ex l. lex. C. de administr. tut. ut videre licet in glossa in cap. 114. de his, quæ sunt à Prælati, & Panormitan. in dict. cap. nulli. num. 8. & 11. prudens ergo iudicium interuenire debet. Primum autem locum inter hæc bona obtinent vasa, & vestimenta diuino cultui deputata, quando sunt ex materia multæ æstimationis, præsertim si in eo genere, & quantitate materia, & artis qualitate præstant, ut sunt vasa aurea, vel argentea, gemmæ, vestes aureæ, aut feræ maioris pretij: & de his præcipue loquitur dicta Extravagans, *Ambrosio, dicens, Pretiosa obelia de d. cat. & q. 1. ubi Ecclesiæ, monasteria, & pia loca reguntur, illust. an. & q. 1.* Existimo præterea in hoc numero computari copiosam bibliothecam monasterio competentem: nam licet singuli libri, vel plures illorum alienari possint sine illa solennitate, vendere tamen totam bibliothecam est sine dubio res grauissima, quæ inter mobilia pretiosa, quæ seruando seruari non possunt, ut iura loquuntur, merito computatur. Et idem iudico de grege integro ouium, aut similibus rerum se mouentium, quæ fructifera sunt, & immobilibus bonis communi æstimatione æquiparantur. Idem censuit Nauarrus consil. 7. de reb. Eccles. non alien. de cessione arborum ferentium & non ferentium fructus, quæ magno pretio æstimantur, & venduntur: nam, licet illa res videatur mobilis, est pretiosa, & quatenus pertinet ad utilitatem prædij, & illi adhæret, quodammodo est immobilis: & nihilominus in consil. 6. ait idem Nauarrus, succidere aliquas arbores inutiles, vel opacas, & eas vendere, non transcendere æstimationem, & modum rerum mobilium, quæ seruando seruari non possunt, vel non debent, quia reuera & sunt parua æstimationis, & non pertinent ad utilitatem prædij, & ideo nullo modo reputantur immobiles; cetera autem bona mobilia, quæ huiusmodi non sunt, & seruando seruari non possunt, etiam ratione quantitatis, si aliquando sint magni pretij, inter mobilia pretiosa non computantur, ut sunt pecunia, oleum, triticum, vinum, & alij fructus, atque etiam vestes, quæ quotidiano vsu facile teruntur, & magnæ æstimationis non sunt.

XIX. Ex quo infert Panormitanus dicto cap. nulli. cum glossa ibi, hæc omnia permutari posse à Prælati,

præsumendam iustam causam; ubi autem intercedit veritas, cessat præsumptio. Sed non placet, quia non est tantum ad præsumendum, sed ad præcavendum ne aliter fiat, & ideo non obstante veritate causæ, necessaria est sollemnitas. Tum quia effectus legis, & obligatio non cessat, etiam si finis in particulari cesset: tum etiam, qui deest potestas ad contrahendum alio modo: ergo actus est simpliciter nullus.

XXI.
Tunc aut
contractus
rescindendus, aut so-
lemnitas de-
nuo adhibenda.

Quapropter qui hoc modo accipit bona alienata à monasterio, non potest illa in conscientia retinere, nec fructus, imò, si sit in mora restituendi, tenebitur ad damna monasterii, nisi propter bonam fidem à culpa excusetur. De quo videri potest Nauarrus tribus consilijs ultimis de rebus Eccles. non alien. Couar. in reg. peccatum, §. 3. n. 11. Anton. Gom. l. 3. Tau. n. 124. Cutier. de iure confirm. l. p. c. 1. n. 42. Rebuff. referens alios antiquos, supra, n. suo 42. & Molina loco citato; neque in hoc potest monasterium cedere iuri suo, nisi confirmando denuo contractum, & suppleto priorem defectum: nam quando ius præscribit certam formam essentialem servandam in contractibus, nemo potest huic iuri renunciare, ut sumitur ex l. contra iura. ff. de pactis, & l. nemo potest. ff. de legat. 1. notat Panormit. in c. si de i. genti. de foro compet. num. 7. ex Bartolo in l. si quis in conscribendo. C. de pactis. Unde si in presenti casu consensus Capituli, v. g. prætermisus fuisset, actus quidem in rigore esset invalidus, potest tamen ratificari per consensum Capituli, præmisso tractatu, & tunc incipit valere contractus non à tempore, quo factus est, sed à tempore, quo fuit ratificatus, ut est communis sententia Doctorum, quos refert Rebuffus supra, n. 95. Et per hæc satis videntur dicta iura explicata quantum ad præsens institutum spectat. De penis autem excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, quæ ibi adduntur, præsertim in Extravag. Ambrosio, dictum in particulari est in tomo de Censuris: disp. 22. sect. 6. à num. 6. De alijs verò, quæ pertinent ad privationem beneficiorum, aut officiorum, iuxta generales regulas materiae de Legibus iudicandum est, ubi etiam in specie illam Extravagantem attigimus, & cum Nauarro adnotavimus, quoad hæc penæ non videri visu receptum.

De penis
indebitæ a-
lienationis.

CAP V T XXVIII.

De potestate prædictæ administrationis iuxta statuta & specialia indulta religionum, nominationum Societatis Iesu.

I.
Assertio pro
i. potestate
tuli.

In hac re dicendum est, Prælatus vniuscuiusque religionis posse & debere administrare bona monasterii, aut religionis iuxta indulta, & privilegia à Sede Apostolica suæ religioni concessa, & iuxta suam regulam, vel constitutiones ab eadem Sede approbatas. Probat, quia indulta Apostolica dant potestatem derogando etiam iuri communi, quando id sufficienter exprimunt, (nam quod possint id facere, manifestum est.) Constitutiones autem constitunt ius, quod huiusmodi Prælatus servare tenentur: ergo & potest, & debet iuxta talia indulta, ac statuta religionis bona administrare. Quæ verò sint huiusmodi statuta, & indulta in singulis religionibus, non est nostrum nunc inquirere, vel examinare, sed videri possunt, quæ de his privilegijs, sicut & de cæteris alijs, doctè, & diligenter tractat Emmanuel Rodericus in 1. tomo Quaestionum regularium, q. 27. Si quis autem attentè animadvertat, in privilegijs communiter concessis Mendicantibus, aut monachalibus religionibus, nihil ferè derogatum est de sollemnitate ad alienationem

Privilegia
religionum
parum de-
rogant so-
lemnitati
iuri com-
muni.

requisita, in reliquis verò, quæ ad administrationem pertinent, idem ferè ius commune est omnibus. Quod si aliqua sit varietas in specialibus statutis, eorum intelligentiam, & observantiam vnicuique Prælato remittimus.

Solum est notatu dignum privilegium illud à Sixto IV. & Leone X. concessum Minoribus ad alienandum aliqua bona immobilia, non obstantibus vltimis voluntariis testatorum, vel donantium, prout refertur in Supplemento Minorum, concess. 95. & 317. Quanquam, quia illi non habent bona immobilia, solum conceditur eis commutatio talium bonorum, quando primum illis traduntur. Alij verò Mendicantes, qui habere possunt dominium rerum immobilium, uti possunt illa facultate, etiam postquam acceptant, & possident talia bona, iuxta testantis voluntatem, dummodo observent conditiones in privilegio requisitas, nimirum, ut sine scandalo fiat, & cum diligenti informatione de talis alienationis, vel commutationis necessitate. Et ita habetur in privilegijs Augustinianorum, & in Compendio Societatis, verb. Alienatio, §. 3. ubi visus huius facultatis referatur Generali, iuxta proprium, & peculiarem modum procedendi Societatis. De quo pauca hic addere necesse est, ne oporteat iterum postea in tract. 10. de hac temporal administratione sermonem facere, & quia antiquus modus procedendi religionum videtur in ea quoad hanc partem innovatus. Ac denique, quia, ut in fine dicam, aliqui putant, posse alias religiones, vel Generales earum per communicationem privilegiorum uti Pontificijs facultatibus Præposito Generali Societatis in hac parte concessis.

Est igitur in hac materia advertendum, quod sicut in Societate religionum regimen ad perfectam monarchiam revocatum est, ut infra tract. 10. lib. 10. cap. 1. dicam, ita tota potestas administrandi omnia domorum, vel collegiorum Societatis temporalia, illi per Constitutiones Societatis attributa est, hoc solo excepto, quod collegia femina acceptata dissolvere non potest, nec etiam immobilia bona omnino alienare, ut habetur p. 9. Constit. his verbis: *Est penes Præpositum Generalem omnis facultas agendi quoslibet contractus emptionum aut venditionum quorumlibet bonorum temporalium mobilium tam domorum, quam collegiorum Societatis: & imponendi, ac redimendi quilibet censu super bonis stabilibus ipsorum Collegiorum, in eorundem utilitatem ac bonum, cum facultate sese onere liberandi, restituta pecunia, quæ data fuerit. Alioquin autem, aut omnino dissolvere Collegia, vel Domos erectas Societati sine generali Congregatione, præpositus Generalis non poterit.* Et statim §. 6. Generali datur facultas disponendi, & applicandi huic, vel illi loco quæcunque bona Societati indifferenter relicta, prout magis censuerit expedire: & infra §. 17. declaratur, posse etiam admittere Collegia, & Domos, quantum non possit ea dissolvere, ut statim additur in §. 18. Ex quibus constat hanc potestatem ex vi Constitutionum esse latissimam, extendique omnia mobilia sine ulla limitatione, ideoque etiam pretiosa comprehendere. Item extendi ad immobilia quoad imponendum censum super illis, dummodo redimi possint, & cedant in religionis utilitatem, qui est modus quidam alienationis: ex quo planè sequitur posse etiam locare, vel facultatem dare ad locandum ultra triennium, & omnes alios contractus efficere, qui non continent propriam perpetuam alienationem, vel translationem domini directi, aut utilis: nam omnes illi sunt minores alienationes rerum immobilium, quam venditio censu super illis: cui autem maius conceditur (ut habet regula iuris 53. in 6.) censetur etiam minus concessum, in his saltem, quæ eiusdem sunt rationis.

At